

22. AB OMNI SPECIE MALA ABSTINETE VOS. — Alii legunt, *ab omni specie mali*. Utroque enim modo verti possunt Græca: quanquam prior lectio est germanior, emque cum D. Hieronymo sequuntur interpretes. Sed idem utriusque lectionis est sensus.

23. Ipsi D. D. S. (auctor) PACIS SANCTIFICET VOS PER OMNIA. — Græce *εὐαγγέλιον*; id est *totus*, ut totus sitis sancti et perfecti in omnibus, nimirum in spiritu, anima et corpore, ut sequitur.

UT INTEGRER SPIRITUS VESTER ET ANIMA, ET CORPUS SINE QUERELA IN ADVENTU (in adventum) DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SERVETUR. — « *Integer* » non est idem hic, quod incorruptus; græce enim est *ἀκέραιος*, q. d. Totum perfectum, omnibus suis partibus et dotibus integrum et absolutum, cui tota sua sors (hoc enim est *κλήρο*), sive totum quod sorte accepit, inest et adest, q. d. Totam gratiam et integritatem, quam sorte accepistis in baptismo, conservate usque ad diem iudicii, ut talem et lam integrum spiritum, animam et corpus Christo iudici reddatis et exhibeatis, qualem ab eo in baptismo accepistis.

Quomodo spiritus ab anima distinguitur? Nota cum S. Augustino, tract. *de Symbolo*: Totus homo tres habet partes, spiritum, animam et corpus; itaque homo est imago trium personarum SS. Trinitatis. *Primo* ergo Nyssenus apud Theophylactum per spiritum accipit partem hominis rationalem; per *animum*, partem sensitivam; per *corpus*, vegetativam.

Secundo et melius, spiritus est pars rationalis, sive ratio et potentia anime superior, que mens dicitur, maxime si fide et spiritu Dei sit imbuta; anima est portio inferior nobis cum bestis communis, ex qua homo animalis dicitur et animales operationes exerceat, ut sunt videre, audire, edere, generare; corpus vero est domicilium utriusque, scilicet tam spiritus quam anime, q. d., ait Anselmus: Sit spiritus vester integer, id est nulla haerens, errore, diffidentia, malitia, invidia, nulloque peccati consensu vulneretur, ita ut aliquo fidei, spei charitatis, alteriusve virtutis articulo et quasi membro mutiletur; sed plena articulorum

omnium et dogmatum fide, integra spe et charitate, cæterarumque virtutum partibus et numeris omnibus integer sit et perfectus. Sit et anima integra, id est delectationibus carnis et sensuum non sauciatur, ita ut nulliter intus irrita et perfecta, que debet esse in auditu, visu aliisque sensibus anime externis et interioris: sed i per omnia sint integri, quantum patitur humana conditionis infirmitas; nec enim ad integritatem Adami et Christi, in hac vita accedere possumus. Denique corpus vestrum sit integrum, id est nullius peccati executione et perpetracione ledatur; sed inviolatum, illasum, integrum aque ut spiritus et anima consistat: sic ut corpus anime, anima spiritui, spiritus Deo plane subsit et obediatur, Deusque suam sanctitatem spiritui, et per spiritum anime et corpori communicet, ut in die iudicii Christo exhibeatis corpus et animam et spiritum integre et perfecte sancta, qualem accepistis in baptismo, de iis que dicere possitis: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. »

Unde nota *secundo*: Integritas hæc opponitur qui manco et mutilo: sunt enim manci et mutili in fide, qui credunt Symbolum Apostolorum, sed negant alias traditiones, negant invocationem Sanctorum et Christi presentiam in Eucharistia, etc. Sic in charitate manci sunt, qui amicos diligunt, non inimicos. Sic in anima manci sunt, qui tactum a turpibus custodiunt, sed non aures, non oculos; et ita de aliis. Hæcæ opponit Apostolus integritatem, quam Christianus tam in fide, ut omnia credenda credat, quam spe, ut omnia speranda speret, et charitate, ut omnia amanda amet, aliisque virtutibus habere debet. Ita Hieronymus, *ad Hedib.*, Quæst. XII.

24. FIDELIS EST DEUS, QUI VOCAVIT VOS: QUI ETIAM FACIET, — id est efficiet et perficiet, ut integritatem jam dictam, ad quam vos vocavit, conservetis et ad æternam salutem perveniat, si videlicet ejus gratia non desitis, illique cooperemini. Ita Theophylactus et Anselmus.

25. IN OSCULO SANCTO. — De hoc osculo dicitur *II Corinth.* XIII, 12.

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM EPISTOLAM

AD THESSALONICENSIS.

ARGUMENTUM.

Primo, hortatur Thessalonicenses ad constantiam in fide Christi, utque pro ea fortiter ferant persecutiones Gentilium et Judæorum, spe præmii celestis.

Secundo, docet necdum instare diem iudicii: quidam enim falsi et fraudulentii doctores persuaserant eis instare diem hunc, et ad hoc verba quædam fingeant tanquam a Paulo dicta, et epistolas quasdam tanquam ab illo scriptas, quibus hoc asserebat. Hos ergo impostores hic redarguit, metumque instantis iudicii eis admittit, docetque quod prius oporteat venire Antichristum: cuius qualitates, vitam et mores hic describit.

Tertio, monet traditiones sive verbo, sive scripto acceptas, esse servandas.

Quarto, docet ut fugiant et coerceant homines invidiosos, curiosos et inquietos. Denique signum eis dat, quod dignoscant genuinas suas epistolas commentititias, quas proferebant impostores jam dicti (1).

Græca et Latina Regia in fine habent hanc epistolam scriplam esse Athenis; Serrus vero, Laodicea: (Eusebius autem et Athanasius in *Synopsi*, Romæ. Verisimilius videtur hanc secundam scriptam esse paulo post primam, cum adhuc Apostolus Corinthi degeret, anno Christi 53 (2). Unde Timotheus et Silvanus tam huic secunde, quam illi primæ inscribuntur: quasi qui cum Paulo salutent eos, mittantque eis hanc epistolam (3).

erigit, ut simul eodem ad constantiam oblique hortetur. *Secunda* pars partim prophetica, partim didascalica est, que cap. II tractatur, ubi doctrinam de ultimo Christi adventu, atque de insigni quamdam defectu a religione plenius ipse declarat. *Tertio* et postrema pars tota hortatoria est, que cap. III continetur, ubi Apostolus Thessalonicenses ad studium Christianarum virtutum, et nominatim ad diligentiam in uniuscujusque vocatione adhibendam, serio exhortatur, addita sub finem optatione salutatione pathetica.

(2) Anno 51, ait Sepp, op. cit. tom. II, pag. 332.
(3) De authenticâ hujus Epistolæ nostræ ætate in *Éclaircissement* vocata a De Wett, digna est præsertim quæ legatur Reichii Dissertatio: *Authenticâ posterioris ad Thessal. epistolæ vindictæ*. Götting., 1829. Cf. D. Kläre, *Introduction aux livres de l'ancien et du Nouveau Testament* tom. V, p. 142 et seqq.

Adventum Christi exspecta, ÆTERNITATEM cogita.

(1) Hujus Epistolæ argumentum tripartitum est, pro numero trium ipsius capitulum. Et *primo* quidem pars consolatoria est, que cap. I tractatur, ubi Apostolus docet vias suas adversus vexationes ob religionem sta-

sicut scelera poenam; ergo est meritum honorum operum.

7. IN REVELATIONE DOMINI JESU DE COELO. — cum Christus apparebit iudex in die iudicii.

CUM ANGELIS VIRTUTIS EJUS. — Græce δυνάμεις, id est potentia. Ii enim angeli Christum iudicem venientem praeferunt, ejusque potentiam et maiestatem suo numero maximo, suis tubis, fulguribus, tonitribus et terræ motibus ostendent. Syrus vertit, cum virtute, id est exercitu, angelorum: hinc enim hebraice dicitur Deus sabaoth, græce δυνάμεις, latine exercituum: quo nomine prima omnium compellasse Deum legitur Anna, mater Samuelis, I Reg. 1, 11, q. d. Agite, o Christiani, animose ferte persecutiones; veniet dies, in qua Christus, pro quo patimini, iudex aderit, qui potentissimas secum ducet acies angelorum ad iudicium et vindictam impiorum: ut nimirum vos et vestras injurias ulciscantur, eosque, qui vos persecuntur, igni tradant et in tartara deturbent.

8. IN FLAMMA IGNIS DANTIS VINDICTAM IIS QUI NON NOVERUNT DEUM. — Græce ἐν πυρὶ φλογος, id est in igne, sive incendio flammæ, id est flamme et flammæ ejaculante.

Secundo, ὅ δαντὶς non potest referri ad Jesus, sed ad Dominum Jesu. Græcum enim δδόντες masculinum est; unde non potest referri ad φλογος, femininum, sed ad Κριστός, quod est masculinum. q. d. Dominus Jesus pro flammam ignis dabit vindictam impiis.

Nota: Intelligit ignem conflagrationis mundi; licet enim nonnulli cum Francisco Suarez putent hoc igne non mortuos Sanctos, qui tum vivi reperientur, eo quod illa nimis dura et indigna Sanctis videtur esse mors; impios tamen hoc igne mortuos, satis hic et alibi significat Scriptura. Hoc ergo ignis reprobos morte punit, eosque convolvit et rapit in gehennam et ignem æternum.

Moraliter S. Chrysostomus: « Si videris, ait, in presenti vita jucundum quid ac magnificentum, cogita regnum Dei, et nihil esse putabis: si terribile quid videris, cogita gehennam, et illud etiam deridebis: si quando te ceperit concupiscentia corporalis, cogita gehennæ ignem; si enim legum secularium metus nos a malis cohibet, multo magis recordatio futurorum, supplicium immortale, poena sempiterna.

9. QUI POENAS DABUNT IN INTERITU ÆTERNAS. — Græce διδόντες αἰώνως, id est interitum et mortem æternam luent, quasi poenam suis sceleribus meritam et debitam, ad quam poenam damnabuntur et relegabuntur.

Audi de hac poena S. Cyprianum, tract. De Ascens. Domini: « Quanta illud edictum (sententiam iudicis Christi) sequatur lamenta, illius ultimæ tubæ clangor quam horribilis erit! continuus erit et superfluous illarum lacrymarum decursus, stridorem illam dentium flammæ inextinguibiles agitabunt: immortales miseri vivent, incendia et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allam-

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gratias agendo, et laudando Thessalonicensium in persecutionibus pro fide tolerantiam, hortare ut in eadem pergant.

Unde, vers. 6, proponit eis tam poenas horrendas persecutorum, quam præmium adquirendum gloriae. quæ ipsi omnesque Sancti accepturi sunt in die iudicii.

Denique, vers. 11, orat Deum, ut opus hoc fidei in eis compleat.

1. Paulus, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 3. Gratias agere debemus Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supererescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: 4. ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide, in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis, 5. in exemplum justitiae iudicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. 6. Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; 7. et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de caelo cum angelis virtutis ejus, 8. in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et a gloria virtutis ejus: 9. Qui poenas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus: 10. cum venerit glorificari in sanctis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. 11. In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute, 12. ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.

1. ECCLESIE THESSALONICENSIIUM IN DEO PATRE NOSTRO. — Supple, congregatæ et adunate. Vide Epist. I, cap. I, vers. 1.

3. SUPERERESCIT. — υπερειβάται, id est valde et supra modum augetur fides vestra.

4 et 5. QUAS SUSTINETIS, IN EXEMPLUM JUSTI JUDICII DEI. — Pro exemplum, græce est ἑξέμπελον, id est documentum, et, ut Syrus, demonstrationem et declarationem, q. d. Sustinetis persecutiones et tribulationes hac spe et consolatione, hoc fine et fructu, ut aliquando (puta in die iudicii) ostendantur et demonstrentur iustitia et justum iudicium Dei, quo vos ob patientiam dignos habebit, id est dignos iudicabit regno Dei et corona gloriæ coronabit; vestros vero persecutores, qui hic in vestra afflictione gaudent, condemnabit. Ita Theophylactus et patet ex seq. Unde Tertullianus in Scorpiaco, cap. XIII, ita legit: « In pressuris, quibus sustinetis ostentamen justitiae iudicii Dei. »

Nota: Græce non est in exemplum, sed tantum ἑξέμπελον, id est documentum, exemplum. Intelligit

ergo prepositio in, vel ad, quamquam sine prepositione in, nominativo casu posset referri ad ipsos patientes, q. d. Vos qui tanta patientia, estis documentum et ostenditis rectum esse iudicium Dei, cum ob tantas tribulationes retribuistis vobis regnum æternum: hoc enim justo Deo iudicio tantum patientibus debetur (1).

6. SI TAMEN JUSTUM EST APUD DEUM RETRIBUERE. — Si est asseverant, non dubitant. Unde Ambrosius et quidam alii legunt, siquidem: sic etiam vertit Syrus et Vatablus: sic et Græci αὐτῶν exponunt ἐξεδέχεται, id est, quandoquidem.

JUSTUM EST. — Nota hic, Deum ex iustitia tam impis ob scelera, æternas poenas; quam bonis et patientibus, ob suam patientiam, æternam requiem et gloriam retribuere. Hoc enim asserit hic Paulus. Ergo patientia hæc meretur hanc gloriam.

(1) Quod boni affliguntur, indicio est, aliam vitam esse post mortem, ubi præmia sua accipient, sicuti mali suas ferent poenas.

Quinam angeli virtutis Christi ad iudicium?

Memoria ignis gehennæ reprobos convolvit et rapit in gehennam et ignem æternum.

uent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æstanti lingue stillam aque infundat. In proprio adipe fixæ libidines bullient, et inter sarfagine flammæ miserabilia corpora cremabuntur, et omni tormento atrocis desperato condemnatos affliget. Non miserabitur ultra Deus: nullum illi refrigerium, nullum remedium.»

A FACIE DOMINI, — id est a presentia, vel a ore et sententia, Christi iudicis.

Notat vox facies facilitatem vindictæ. « Nulla enim, inquit Theophylactus, erit difficultas; verum satis erit tantummodo visum esse, adeoque apparuisse Deum, et omnes inobedientes atque increduli in poena erunt: tantummodo enim facies ipsius et adventus, vel presentia aliis quidem lumen erit, aliis vero supplicium: non enim simpliciter, sed cum gloria virtutis et roboris aderit; neque gloria ejus robore carebit, neque robur erit inglorium, hoc est, tanquam rex potens conspicietur.

Secundo, ὅ a facie significat impios terribili Christi facie et gloria ita reverberatum iri, ut eam intueri non sustineant; sed ab ea quasi fulmine prostrati et aversi corruant in gehennam.

Tertio, vox factes significat os, ac sententiam ore ac facie Christi prolata, quasi fulmen ab ore Christi egrediens, ac impios puniens et allans; et hoc est quod ait Daniel, cap. VII, vers. 10: « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. » Ubi « fluvius igneus » significat. Et Hieronymus, sententiam iudicis efficacissimam et æternam, que instar ignis et rapidissimi fluminis improbos in tartarum abripit et immerget.

ET A GLORIA VIRTUTIS (græce ἰσχύος, id est a roboris et potentie) EJUS. — id est a maiestate (hanc enim vocal gloriam) gloriosa, terribili et potentissima Christi iudicis (1).

10. CUM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SUIS, ET ADMIRABILIS FIERI IN OMNIBUS QUI CREDIDERUNT. — Pro admirabilis fieri, græce est θαυμάσιον, quod Ambrosius vertit, mirificari; Syrus, miracula sua ostendere infidelibus: sed proprie significat fieri admirandum, sive dignum quem alii admirentur.

Nota: Admiratio, ut ex Aristotele docet D. Thomas, est stupor procedens ex re quâpiam, que phantasia et opinionem hominum superat, v. g. Cum homines vident aliquid prodigium, miraculum aut aliquid inopinatum, illud admirantur. Hinc rudes et insipientes, quibus parum est vel sapientiæ, vel animi, multa admirantur, que sapientes et magnanimi non admirantur. Regum enim esse aiebat Cyrus, nihil admirari; suosque principes ita instruebat, ut discerent nihil admirari, hoc enim signum et effectum esse animi excelsi, heroici et sapientis dicitur, qui debet esse in principe.

Christus ergo in die iudicii reddetur omnibus

(1) Alii: Proci a Domino ejusque gloriosa maiestate remoti.

Judei et
carnis
doss erit
carnibus
admira-
tio.

admirandus in Sanctis suis : Primo, quia tunc om-
nibus patefacit miram gratiam et robur, quod
hic confutit suis fidelibus et justis, ut pro fide
persecutiones, expilationes, exilia et martyria for-
titer tolerarent. Tunc enim omnibus patefecit et
celebravit mira fortitudo, quam confutit S. Lau-
rentio, ut in craticula assatus, irridens Decium
gratias ageret Deo, diceretque : Igne me exami-
nasti, et non est inventa in me iniquitas. Tunc
omnibus apparebit admirandus spiritus S. Ste-
phani, quo Judaeis obstinatis insultavit, ac lapides
pro gemmis exceptit. Tunc conspicient et admi-
rabuntur omnes invidium amorem virginitalis a
Christo datum tenellis virginculis, Agneti, Cae-
ciliae, Catharinae, quo omnem carnis et saeculi amo-
rem, tormenta omnia, tyrannos omnes fortissime
superarunt, ut in morte et martyriis carenter :
Recentium mundi et omnem ornatum saeculi con-
tempserunt, propter amorem Domini mei Jesu Christi,
quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. Tunc
mirus Apostolorum zelus, Eremitarum rigor,
mira Magdalene et aliorum poenitentia, mirus
Doctorem labor, adeoque in quolibet Sancto mira
quaedam et propria virtus elucebit, qua Christus
in quolibet Sancto apparebit admirabilis.

Gloria
confere-
nda Sanctis
Historiae
praesentis
hilitas.

Secundo, et magis genuine ad mentem Apostoli,
Christus in die iudicii suis Sanctis, maxime iis
qui pro fide, sua passi sunt, tantam conferet glo-
riam, quae omnium hominum et angelorum opinio-
nem, ingenium et captum superabit, omni-
busque naturaliter erit admirabilis : « Oculus
enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor ho-
minis ascendit, quae preparavit Deus iis qui di-
ligunt illum, » I Cor. II, 9. Et sicut in singulis
Sanctis propria quaedam et admirabilis gratia ac
virtus eluxit in hac vita, ut dixi : ita in singulis
nova quaedam et admirabilis gloria elucebit ;
adeo ut iusti ipsi tum suam, tum aliorum om-
nium gloriam sint admiraturi. Ipsi quoque re-
probi Sanctos, quos hic desperaverunt, tanta gloria
et bonis cumulatos obtusperant ; unde Sapient.
v. 2 : « Videntes, inquit, turbabuntur timore hor-
ribili, et mirabuntur in subitacione insperate salu-
tis, dicentes intra se, poenitentiam agentes : Hi
sunt, quos habuimus aliquando in derisum et in
similitudinem improprie. Nos insensati vitam illo-
rum aestimabamus insaniam, et finem illorum
sine honore : ecce quomodo computati sunt inter
filios Dei et inter sanctos sors illorum est. » Ita
Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

Deus mi-
rabilis in
Sanctis
suis.

Alludit hic Paulus ad Psal. LVII, 36 : « Mirabi-
lis Deus in Sanctis suis ; » et Psal. IV, 4 : « Mirifi-
cavit Dominus sanctum suum, » Davidem scilicet
a se in regem consecratum et sanctificatum. Ad-
dunt Hebraei 17 lo, id est sibi, q. d. In suum de-
us, laudem, gloriam ; et Psal. XV, 3 : « Sanctis
qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes volunta-
tes meas in eis ; » quia, ut explicat Theodoretus,
miram eius virtutem et fortitudinem indidit et
magna per eos edidit miracula, v. g. ut Apostoli

pauci et rudes totum orbem converterent, et
Martyres omnia tormenta superarent, virginis in
mediis flammis constantes starent et illaese. Ex
Psal. LXXXVIII, 8 : « Deus qui glorificabitur in con-
silio Sanctorum, magnus et terribilis super omnes
qui in circuitu ejus sunt ; » et vers. 6 : « Confite-
buntur caeli mirabilia tua, Domine, etenim verita-
tem tuam in Ecclesia sanctorum. » In quem lo-
cum pulchre et pie S. Augustinus per caelos mys-
tice intelligens homines celestes : « In omni, ait,
misericordia perditorum, in justificatione impio-
rum quid laudas, nisi mirabilia Dei? laudas quia
resurrexerunt mortui ; plus lauda quia redempti
sunt perditii. Quae gratia! Quae misericordia Dei!
Vides hominem heri voragine ebriositatis, hodie
ornamentum sobrietatis ; vides hominem heri
caenum luxuriae, hodie decus temperantiae ; vides
hominem heri blasphematorem, hodie laudato-
rem Dei ; vides hominem heri servum creaturae,
hodie servum Creatoris. Homines non respiciant
ad merita sua, fiant caeli : confiteantur caeli mi-
rabilia tua, Domine. » Haec omnia clarissime et
maxime patebunt in omnibus Sanctis simul, in
die iudicii, cum non tantum eorum gratia et vir-
tutes, sed et gloria, dotesque beatitudinis tam ad-
mirabiles et multiplices toto mundo clarescent.
Hinc nomen Christi est N72 polo, id est admi-
rabilis, Isaia IX, 6.

IN OMNIBUS QUI CREDIDERUNT, — fide scilicet cha-
ritate formata, sive fide quae per dilectionem
operatur, id est, qui crediderunt, et iuxta id quod
crediderunt bene vixerunt, bonaque opera per-
egerunt. Id patet : nam toto hoc cap. non nudam
fidem Thessalonicensium, sed patientiam in tot
persecutionibus commendat, et ut in ea constanter
perseverent cohortatur. Vide Can. 2 et 3.

QUIA CREDITUM EST TESTIMONIUM NOSTRUM (id est
praedicatione Evangelica, per quam testimonium
perhibitum est a me, credita est) SUPER VOS (a vo-
bis) IN DIE ILLO, — de die illo, q. d. Quia credi-
distis praedicationi meae, qua testimonium perhi-
biti de die illo, scilicet tunc Deum fidelibus suis
sanctis tantam et tam ineffabilem et admirandam
datum gloriam, ideoque in fide haec constantes
tantas pro ea tribulationes passi estis ; hanc ob
causam Deus dabit vobis requiem gloriosam in
caelo, ut dixit vers. 7, eo enim dedit : vel potius
Apostolus hic subaudiendum reliquit ex praecedentibus,
et in vobis. Hoc enim omittit, quia tacite
continetur in in omnibus. Sic ergo facile et plane
est explenda haec sententia : « Cum venerit glori-
ficari in sanctis suis et admirabilis fieri in omni-
bus qui crediderunt, ac consequenter in vobis,
quia creditum est testimonium nostrum, » etc.,
id est quia credidistis meae praedicationi et testi-
monio de die illo, iudicii scilicet.

11. IN QUO ETIAM ORAMUS. — Graeco sic, id est ad v
quod, sive in quam rem oramus ; ut scilicet fidem
testimonio et praedicationi nostrae habere pergas-
t, pro eaque fortiter adversa feratis, ut in die

iudicii per Christum fidei gloriosi et admirabiles.
Unde explicans subdit :

UT DIGNETUR VOS VOCATIONE SUA DEUS NOSTER. —
« Vocazione, » id est beatitudine, ad quam vocati
estis, quaeque est finis vocationis vestrae, ait Ansel-
mus. Secundo simplicius, « vocatione, » id est
conservatione et augmento vocationis : Domine,
enim jam hic sumitur in actu, non inchoato,
hunc enim jam pridem habuerant Thessaloni-
censes ante baptismum ; sed continuato et per-
fecto. Vide Canon. 32, q. d. Oro ut Deus suam
vocationem et gratiam vocantem, qua vos ad
Christi fidem, salutem et christianismum vocavit,
conservet, adaugeat, perficiat, et per patientiam
ac bona opera magis magisque confirmet ; utque
ad perfectionem virtutem vel statum vos vocet et
evohat, ipsumque apicem Christianae perfectionis
vobis largiatur et tribuat. Ita S. Chrysostomus,
Theophylactus et D. Thomas, et patet ex seq.
Sequitur enim : « Implet omnem voluntatem boni-
tatis, et opus fidei in virtute. » Perfectio enim
Christiana consistit in voluntate Dei plene adim-
plenda.

Nota : Qui ad perfectionem virtutem vel sta-
tum aspirant, aut se aliosque aspirare et promo-
vere desiderant, hi multum pro hac re orare
debeant. Haec enim perfectio, v. g. status virgini-
tatis, aut Religionis, non tam meritis (quia omnia
merita superat et transcendit), quam humili
et ferventi oratione impetratur. Et hoc significat
Apostolus, dum ait : « Semper oramus pro vo-
bis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster. »

IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS, — id est
oro ut Deus faciat vos plane velle omne bonum.
Ita Anselmus et Vatablus. Secundo genuine, « vol-
untatem bonitatis, » id est benignam et bonam
voluntatem suam in vobis implet De. Graece
enim est εὐδοκία, quae passim in Scriptura. ti et
hic, Deo tribuitur, non homini, significaturque
in homines benevolentiam, propensam volunta-
tem et beneplacitum. Sufficisset dicere Apostolo
εὐδοκία, id est propensam et bonam voluntatem :
sed quia bonitatem Dei per Christum exhibitam
capere et praedicatione nunquam satis potest Apo-
stolus, hinc addit ἀγαποεικία, q. d. Bonitatis vel
benevolentiam suam bonam voluntatem in vobis
impleat Deus : haec est autem benevolentissima
Dei voluntas, ut faciamus omne bonum, inquit
Theophylactus, ut boni, puri, sancti simus, sicut
Deus bonus, purus, sanctus est ; utque in his
quotidie crescamus, magisque Dei bonitatem,
puritatem, sanctitatem participemus et imple-
mur.

Et (supple, implet Deus in vobis) OPUS FIDEI
IN VIRTUTE. — « Opus, » id est opera bona (per
enallagen numeri) quae fides Christi facienda
suadet et dicit, ac praesertim constantem in
adversis fidei professionem, ut nimirum opera
nostra sint fidei nostrae conformia, et tam Chris-
tiana sit vita nostra, quam est fides nostra. Unde

Theophylactus ex Chrysostomo, per « opus fidei, »
accipit patientiam in persecutionibus pro fide
toleratis : qui enim non habet patientiam, non
habet opus fidei. Secundo, simplicius et clarior
(quod tamen in re eodem radi, idemque est
cum priori sensu), « opus fidei » vocat eo sensu,
quo opus structure vocamus ipsam fabricam
structure, opus agricolae vocamus agricultura-
ram, opus satoris vocamus calceum, opus in-
geni vocamus librum ingeniose compositum,
opus textoris vocamus telam ab eo contextam.
Sicut ergo qualibet in re dicimus : Hoc opus mihi
absolvendum est ; ita Paulus hic optat, ut Deus
impleat in Thessalonicensibus opus et quasi fa-
bricam fidei, ut illa omnibus suis partibus et
numeris compleatur et perficiatur : hanc enim
fabricam vel telam orsi sunt in baptismo, illam
texere perrexerunt pro bona opera et patientiam.
Optat Paulus, ut pergant, et Deo auctore hoc
opus absolvant, atque hanc telam melius et plu-
rimus operando ac patiente pertextant.

Ubi nota, fidem tantum esse inchoationem hu-
jus operis Christi, et Dei ; ac requiri bona opera,
ut opus hoc promoveant et perficiant : perinde
ut in domo non sufficit iecisse fundamenta, nisi
parietes et tectum superedificet : fides enim in
perfectione Christiana se habet ut fundamentum,
caeterae virtutes et bona opera, ut parietes et tec-
tum.

Notent hoc Novantes, ut, cum alibi legitur apud
Paulum fidem justificare et salvare, sciunt ex hoc
loco Paulum sum fide opera fidei complecti, ut
dixi Can. 2 et 3.

IN VIRTUTE, — id est potentia, id est
fortiter ac potenter (hoc enim est Hebraeus מַצְחָה
baccach, ut nimirum Deo potenter ac fortiter in
vobis operante ac implente opus et fabricam fidei
vestrae, illam ipsam potentibus ac heroicis pa-
tientiae aliarumque virtutum operibus complectis
et absolvatis. Et enim in virtute tam ad Deum,
qui in virtute et robore, id est roborans et con-
fortans, inquit Theophylactus, implet hoc opus
fidei vestrae, quam ad opus fidei, referendum
est.

Nota secundo, Deum implere opus fidei nostrae,
non quasi ipse solus plane actum fidei in nobis
operetur, quumque nobis indat, sicut vinum indit
vasi, ita ut nos in hoc opere nihil libere agamus
aut cooperemur, ut vult Beza ; sed sicuti
praecceptor dicitur complere studium et scientiam
discipuli, cum eum docet et instruit, ita ut disci-
pulus praecceptoris auscultare, dicta ejus perpen-
dere, penetrare sibi que imprimere debeat : sic
et Deus quasi magister complet opus fidei nos-
trae, dum suavit preventit, suadet et allicit,
tunc intellectum nostrum illuminando, tum affec-
tum demulcendo ; sed ita, ut illi per gratiam
suam illuminanti et mulcenti libere auscultare,
consentire et cooperari debeamus, ut docet
Concilium Tridentinum, sess. VI, ex S. Augustino.

Fides est
tantum
inchoatio
salutis
completa
da, per
bona ope-
ra.

Deus,
concom-
pente li-
berocho-
bria aus-
cultat, com-
plet in
nobis opus.

12. Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo. — « Si enim videant vos nullam non tentationem tolerantes, inquit Theophylactus, ex dilectione, quam erga Deum geritis, qui. quæso, istum non est gloria ejus quoniam adeo bonus est, ut pro ipso moriantur etiam servi; et quia adeo potens, ut vos ad patientiam corroboret. Quin etiam et vos in ipso, quia usque adeo fideles inventi estis, ut omnia patiamini: gloria enim servi est, quod

fidelis domino inveniat. Maximo vero afflictio propter Christum gloria est; nam reddit splendidiors nunquam non morti quidem traditos, potiores tamen ac superiores morte demonstratos. »

SECUNDAM GRATIAM DEI NOSTRI, ET DOMINI JESU CHRISTI. — g. d. Hoc ipsum quod opera fidei editis, quibus clarificatur Deus in vobis, et vos in Deo, totum hoc est opus et effectus gratiæ Christi, sicut et per gratiam Christi, non vestris viribus

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet non instare diem judicii, quodque ante eum fiet generalis apostasia, et veniet Antichristus; cuius secundo, vers. 3, fastum, impietatem, miracula, seductionem et exitum describit usque ad vers. 12. Tertio, vers. 12, congratulatur Thessalonicensibus, quod sint primitiæ fidelium et salvandorum. Quarto, vers. 14, eos in fide confirmat, jubetque ut teneant traditiones, non tantum scripto, sed et verbo acceptas; ac tandem Dei gratiam eis apprecatur.

1. Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum: 2. ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. 3. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, 4. qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam ait Deus. 5. Non retinetis, quod, cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? 6. Et nunc quid defineat scitis, ut reveletur in suo tempore. 7. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: 9. cuius est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, 10. et in omni seductione iniquitatis iis qui perierunt: eo quod ei creditatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 11. ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. 12. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis: 13. in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. 14. Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 15. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, 16. exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

4. ROGAMUS VOS, FRATRES, PER ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET (repete per adventum) NOSTRÆ CONGREGATIONIS IN IPSUM. — cum scilicet Christo veniente ad nos, ut judicet mundum, nos vicissim veniemus, et congregabimur ad eum, illique occurremus. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Unde clarius eum Vatablo verti

posset ex Græco, et per nostri aggregationem in ipsum, Christum scilicet. Est obscuro et obsecratio per adventum Christi judicis, id est per Christum venturum ad judicium (est enim hypallage), perque ipsorum Thessalonicensium salutem et aggregationem ad Christum; ut, quantum reverentur Christum, quantumque amant suam

salutem, tantum aversentur pseudodoctores, hisque docentibus instare diem judicii non credant (1).

2. UT NON CITO MOVEAMINI A VESTRO SENSU, — id est sententia, quam hactenus habuistis, quamque a me edocti estis de die judicii, de Antichristo, aliisque signis que illam diem præcurrunt. Patet hic sensus ex seq., vers. 4 et 5.

NEQUE TERREAMINI NEQUE PER SPIRITUM, — id est fictam revelationem, quasi Spiritus Sanctus Prophete alieni revelarit instare diem judicii: has enim revelationes et prophetias jactabant hi pseudodoctores. Unde tales prophetias probari et examinari jussit, *epist. I, cap. v, vers. 20 et 21.*

NEQUE PER SERMONEM, — supple, nostrum, vel a nobis dictum: hoc enim intelligendum esse arguunt sequentia in Græco.

NEQUE PER EPISTOLAM TANQUAM PER NOS MISSAM, — *ut dicitur iniquus*, id est tanquam a nobis profectum, tam sermonem, quam epistolam.

QUASI INSTET DIES DOMINI. — Nimirum hi pseudoprophete fingebant verba quædam quasi ab Apostolo dicta, et epistolam quasdam quasi ab eo scriptas, quibus suum dogma, vel somnium potius, scilicet quod instaret dies judicii, populo persuaderent. Quin et S. Gregorius, S. Leo alique Patres putarunt suo ævo instare diem judicii, eo quod ex annis Genesios juxta Septuaginta censerent sextum et ultimum mundi millenarium suo sæculo explendum, de quo plura dicam Apoc. xv. Sic et S. Vincentius Ferrerius prædicabat se missam a Deo ut annuntiaret hominibus instare diem judicii. Mirum est quod scribit Procopius et Leonardus Aretinus, lib. I *De Bello Gothorum*, sub Justiniano Imperatore sparsum fuisse Sibyllinum oraculum, mundum « cum sua prole periturum: » cum ecce dux quidam, Mundus nomine, Italiam a Gothicis liberaturus, cum iis infeliceiter pugnans et cum prole cæsus, oraculum declaravit, et mundum impendentis judicii metu liberavit.

3. QUONIAM NISI VENERIT DISCESSIO PRIMUM, — supple, non veniet dies Domini. Pro *discessio*, Græce est ἡ ἀποστασία, Syriace כּוּדָה *marbata*: quod respondet Hebræo כּוּדָה *mered*, id est defectio et rebellio qua quis deficit a suo principe, illicque rebellat, scilicet illa insignis, plena et generalis (hoc enim innuit articulus *et* et generale nomen apostasias, quod nulla hic gentis aut loci nominatione restringitur aut determinatur), qua scilicet pleræque et passim omnes gentes discedent et deficient tum a Romano imperio, ut explicant Ambrosius, Primasius et Sedulius, de quo plura vers. 6; tum consequenter a Romano Pontifice et Ecclesia, ut Anselmus; tum denique a fide et Christo. Unde Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius et Augustinus,

Ante
dies
judicii
traque
gentes
discedent
a Romano
Pontifice
et Ecclesia
Anselmus
et
Theodoretus
Theophylactus
Oecumenius
et Augustinus

(1) Multi Græcum vertunt: Rogamus autem vos, fratres, quod attinet ad adventum D. N. J.-C. et nostram ad eum congregationem, etc.

lib. XX *De Civitate*, xix, dissectionem hanc interpretantur Antichristum, per metonymiam: quia ipse causa erit universalis apostasias, ut plerique omnes discedant a Christo. Sed proprie magis ipsam dissectionem accipimus universalem gentium defectionem a Romanæ Imperio. Ponit hic duo signa prævia judicis: Apostolus: primum, hanc universalem defectionem; secundum, ipsum Antichristum, qui hanc defectionem statim subsequetur, ut magis patebit ex seqq. Adde, non recte, et valde improprie, ipsam apostasiam et defectionem vocari Antichristum. Unde S. Augustinus pro *apostasias* videtur legisse *apostata*: vertit enim, nisi venerit *refugia primum*, id est Antichristus, qui erit refugia et apostata a domino Deo. Sed græca, et latina, et Syrus constanter habent *apostasias*, non *apostata*; unde, ut dixi, non Antichristus, sed generalis apostasias significatur.

ET REVELATUS FUERIT HOMO PECCATI, FILIUS PERDITIONIS, — id est Antichristus, qui erit homo sceleratissimus, ut totus non videatur esse aliud, quam peccati organum, mancipium et complementum; adeo ut tota peccati universitas in eo habitatura sit, inquit B. Irenæus.

Secundo, Antichristus dicitur *filius perditionis*, id est perditissimus, et perdit ac perire dignissimus, ut ex ipsa quasi perditione natus videatur ad hoc, ut se et alios perdat, et in perditionem precipitet. Dupliciter ergo hic « perditio » accipi potest: primo, pro scelere et sceleratissimo, et tunc vox *filius* idem est quod addictus, pronus, mancipatus. Sicut enim dicitur filius inobedientias, superbiæ, luxuriæ, qui se totum addixit et mancipavit inobedientiæ, superbiæ, luxuriæ: ita dicitur « filius perditionis, » qui ita scelerate et perditie vivit, ut sceleri se devovisse videatur. Secundo, « perditio » hic accipi potest pro damnatione et gehenna, in qua morte æterna perantur et pereunt damnati, et tunc vox *filius* exponenda est per *dignus*. Sicut enim dicitur « filius mortis et gehennæ, » qui morte et gehenna est dignus: ita dicitur « filius perditionis, » qui perditione est dignus, ut in æternum damnatur et pereat. Vide dicta *Ephes. II, 3*. Sic sumitur « perditio, » *Proverb. xv, 11*: « Infernus, et perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? » *g. d.* Deus non tantum novit mortem et statum mortuorum (hunc enim norunt etiam angeli et demones); sed novit quoque ipsa ima inferni, et qui, quantumque sint damnandi, aut damnati; quot loca inferni sint repleta, quot adhuc restent replenda et a quibus, quantum, raliæ modo: quanto magis novit secretas hominum cogitationes et intentiones? Sic et cap. xxvii. vers. 20: « Infernus, et perditio nunquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles. »

Nota: S. Augustinus, lib. XX *De Civitate*, xix, hunc hominem peccati, id est Antichristum, intelligit non certam personam, sed totam multitudinem

Antichristi
descriptio.

Est filius
perditionis.

Perditio
dupliciter
accipi potest.